UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

XIX. Ne turpia vel obscoena in basilicis, aut in earum porticibus & atriis, cantari permittantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

Visual Library

ecclesiæ, qualecumque scandalum, aut simultates penitus excitare præsumat; nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere. Quod si quis fortasse præsumpserit, ab episcopo loci illius, vbi factum fuerit, ipse iuxta statuta Canonum communione priuetur. ANNO CHRISTI 650.

XVIII.

Licet generaliter ab omnibus catholicis, & Deum timentibus diem dominicum, quod est prima sabbati, conuenit obseruari, & sicut in superioribus Canonibus est statutum; non aliquid noui condentes, sed vetera renouantes instituimus, vt in ipso die dominico ruralia opera, id est arare, secare, messes metere, exartos facere, vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat. Quod qui inuentus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.

XIX.

Multa quidem eueniunt, quæ dum leuia minime corriguntur, sæpius maiora consurgunt. Valde enim omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes basilicarum, aut festiuitates martyrum, ad ipsa solennia confluentes chorus femineus turpia quidem & obscœna cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut clericos psallentes audire. Vnde conuenit, vt sacerdotes loci talia a septis basilicarum, vel porticibus ipsarum, ac etiam ab ipsis atriis vetare debeant & arcere. Et si voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeum sustinere.